Quaestio medica Cardinalitiis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum, die Jovis 26a mensis Martii, M. Nicolao Marchant ~~Doctore~~ Medico Moderatore.

An hydropicis Potus Paucitas Salubris?

Morbus dispositio praeter naturam actiones sensibiliter, proxime, et per se laedens, omnibus partibus similaribus et dissimilaribus communis est. Cum enim corpus humanum ex elementis quatuor inter se mutuo agentibus et patientibus componatur, successu temporis calorem nativum, omnium actionum instrumentum, in corpore praedominantem debilitari et extingui necesse est. Eoque debilitato morbum, extincto mortem induci. Quin et sanitas ac temperies tanta est, ut totis conatibus trium facultatum nostrum corpus gubernantium, eum tonum, et harmoniam, dissolvere et dirimere conentur.

Cum igitur actiones laedat, quatuor modis id effici constituimus: Nempe intemperie, cum materia et sine; et solutione continui, partibus similaribus propriis; prava compositione partibus dissimilaribus, in magnitudine, figura, numero, situ, et connexione; denique solutione unitatis utrisque communi. Nec morbos materiae et formae hic admittimus, cum nulli sint. Inter ergo organicos, qui saepenumero hominem divexant, hydrops non ultimum locum possidet. Cum enim sit morbus in magnitudine aucta, non mediocriter facultates omnes, naturales, vitales et animales labefactat.

Porro hydrops nihil aliud est, quam collectio humoris praeter naturam sive pituitae sive flatus, aut aquae, inter peritoneum et intestina, vel in carnosa parte musculorum, ex vitiata jecoris primo procuranti in usu sanguificatione. Cujus tres ab omnibus statuuntur differentiae, nempe ascites, qua tumet e aqua venter, tympanites flatu, et anasarca pituita. Quae ultima species ceteris minus periculosa est: cum humor parum a sanguine degeneret, et facilius cedat remediis debite applicatis. Haec inquam, non nisi haematosi diminuta accidere solet.

Causae omnium hydropis specierum procurantes, multae et variae praedicantur. Nempe inflammationes, et scirrhi jecoris, et lienis obstructiones, potus frigidae aquae nimius, gelidos vini haustus continuos, retentio excrementorum expurgari solitorum, aut illorum immoderata profusio. Denique quidquid potest frigidam et humidam hepatis inducere intemperiem, quam hydropis solam agnoscimus. Mulieres vero quam viros potius huic morbo esse obnoxias nemini dubium est: tam ob naturalem constitutionem et vitae debiliora in iis principia, quam propter otium, et pravam vivendi rationem. Pueri etiam omnibus speciebus subditos esse, sed praecipue tympaniae.

Quare cum hic morbus sit perniciosissimus, totis viribus incumbendum est, et non solum chirurgia, et pharmacia, sed etiam victu vivendi ratione illum a corpore depellamus. Atque quoniam frigidus et humidus est, contrariis remediis oppugnari debet, humiditasque superflua exhaurienda, cui desiccatio maxime convenit. Ideo non mirandum est, si paucitas potus plurimum conferat, qua plurimi reperiuntur curati. Nec insatiabilem bibendi cupiditatem, qua saepe hydropici afficiuntur, frequenti potu aquae tenuibus vomitu diluendam desideramus: cum ab ejusmodi remedio nihil aegri laetentur: Quin contra ventriculus nimium in modum prosternatur.

Ergo hydropicis Potus Paucitas salubris.

Asserebat Lutetiae Philibertus Guybert Parisinus anno Domini 1609.

F.I.P. BIBLIOTHEQUE